DE CAUSIS

VARIAE METRITIDIS FORMAE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS
DIE XIII. MENS. FEBRUARII MDCCCXXXIII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

E. R. G. ENGELKING.
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
G. BURGHARD, MED. ET CHIR. DR.
M. BLUEMNER, MED. ET CHIR. CAND.
C. DEININGER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, CELEBERRIMO, AMPLISSIMO

J. G. BETSCHLER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. O. MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETRICIAE IN UNIVERSITATE LITTERARIA VIADRINA, VRATISLAVIENSI, EIDEMQUE IN SCHOLA MEDICO-CHIRURGICA, MEMBRO SUPREMAE IN RE MEDICA EXAMINANDI COMMISSIONIS DELEGATAE, INSTITUTI OBSTETRICII, QUOD VRATISLAVIAE FLORET, DIRECTORI PRIMO, CLINICI ET POLICLINICI OBSTETRICII IBIDEM MODERATORI, LEGIONIS PRIMAE EQUITUM CATAPHRACTORUM MEDICO PRIMARIO, PLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC. ETC.

PRAECEPTORI SUMMOPERE DE SE MERITO

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D,

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Cum mihi vehementem in corpore virgineo metritidem, qni morbus raro occurrere dicitur, in clinico medico, quod sub auspiciis Ill. Remer Vratislaviae floret, curare contigerit, laudandum esse opinatus sum, si historiam ejus communicarem, cum valde deficiant tales relationes [1]). Simul pro viribus in causas inquirere conatus sum, cur hysteritis raro illam hypersthenicam naturam induat, et quae variae ejus formae causae subsint.

In universum genitalia forma, structura magnitudine et numero in corporibus organicis magnopere discrepant. Quo magis vero excultus organisationis gradus

1) In Foresti observ. XXVIII. 41. in Morgagni libro de morbis ventris et in Rust's Magazin Bd. 8. tantum tales inveni.

apparet, eo minus sphaera sexualis praevalet, organismi autem viliores multi generis tantum servandi et propagandi finem sequi videntur; simulac valent, coëunt, ova parunt et exstinguuntur [1]).

Apud insecta, quorum ganglion postremum magnitudine et forma biloba sulcata primo, cerebri analogo, simile est genitalibus, quae post mortem etiam prae ceteris organis majorem incitabilitatem et diutius vitam servant (secundum Bochadsch), nervos dat; ranae adeo et insecta capite privata coire et foecundare posse dicuntur.

In mammalibus vero, sed praesertim in homine, qui periodico amoris fervori non subjicitur et cujus cerebrum relatione ad cerebellum majus est ac in illis, vita altior, individualis superat.

Corpus, quod dicunt Wolfianum, materia muciformis, commune primordium et genitalium et organorum uropoëticorum cum reliquis organis in foetu quidem praeparatum dein negligitur. Peragunt tum genitalia essentialia miram locomotionem, ita ut testes e regione renali contra gravitatis legem in scrotum ascendant et ovaria regionem inguinalem petant. Parum nutrita ibi, isolata magis a reliquis organis genitalia vitam minimam agunt. Cum cerebello sy-

1) In plantis phanerogamis sexualia summum locum, ubi animalibus vertebratis cerebrum est, tenent.

stema sexuale in praecipuo connexu secundum Gall, Burdach [1]) aliosque esse dicitur, ita ut sanguinis detractio in occipite salacitatem deprimere valeat, ulcera in utero dolores cervicis excitent, suppuratio et atrophia cerebelli testium flacciditatem, cerebelli inflammatio priapismum et secundum Serres sanguinis suffusio ibi genitalium turgescentiam et pollutiones protulisse dicantur. Somni vel quietis saltem desiderium post coitum, aucta debilitas et receptivitas systematis nervei [2]), hysteria et hypochondria, tabes dorsualis, e libidinibus et onania ortae, magnam vim functionum genitalium in cerebrum et systema nerveum demonstrant [3]). Vehemens testium compressio mortem adeo subitam, cranii depressio, hydrops cerebri salacitatem, vulnera capitis et suppuratio cerebri impotentiam, hydrops

---

1) Die Physiologie als Erfahrungs-Wissenschaft Bd. 3. p. 314. u. f.

2) Unde proverbium: „omne animal post coitum triste."

3) Haecce et in viris non solum jactura materiae nobilis, seminis, produci videntur. — Fournier saltem narrat: manustupratorem solitis hujus vitii sequelis laborasse, quamvis, antequam ejaculatio fiebat, posteriorem urethrae partem comprimeret, ut ne serius quidem cum urina semen excerneretur.

cerebri chronicus mensium parcitatem et defectum, coëundi appetitus protulisse dicuntur. In senibus debilibus coitus facile sanguinis extravasatum in cerebro, lactis secretio et catamenia suppressa encephalitidem, deliria et maniam saepe producunt.

De ŭtero humano in specie dicere licet: numerosos potius quam fortes nervorum ramos e plexu hypogastrico et spermatico ad firmum spongiosum et vasculosum ejus parenchyma migrare [1]).

Vasa sanguifera, tam arteriae quam venae numero paene infinita ex utroque latere sibi invicem per anastomosin committuntur neque recto cursu ad uterum feruntur, sed varie inter se implicata et contorta curvis et quasi serpentinis ductibus perreptant. Aortae descendentis truncus ceterum multo

---

1) Crassior est uterus in homine ac in ullo animali (avibus membranaceus tantum) et peculiarem materiam floccosam habet, cellulosam, stipatam, densam, succulentam tamen et spongiosam, quae in gravida femina in laminas possit dividi et in morbis atque partu infelici inve lacerato utero in lacinias squamasque et fila solvatur et quasi araneosas membranas. Haller opp. m.

amplior in feminis quam in viris [1]) ejusque parietes tenuiores esse dicuntur [2]). Venae carentes valvulis proficiscuntur e plexu uterino, qui retiformis organon id amplectitur. Vasa numerosissima lymphatica [3]) partim ad plexus hypogastricos, partim ad plexus lumbares meant.

Haec singularis organi structura et copia vasorum, quae in tempus multo amplificari et sanguine turgescere solent, tum proclivitas uteri non solum volumine sed massa simul augeri, stasi humorum et morbis certis favet, e quibus inflammationem imprimis considerare decrevimus.

Medicorum scripta, mulierum morbos aut inflammatorios docentia, perlegentes simul plerumque uteri non gravidi, gravidi et a foetu modo liberati inflammationem pertractatam invenimns, sed cum hae conditiones tanti momenti sint satius habui secundum eas dividere metritidem. — Ceterum discerni potest: metritis idiopathica et deuteropathica — sympathica, metastatica - secundum decursum acuta et chronica- cui proxima occulta, secundum morbi intensitatem

---

1) Freind's Emmenologie.

2) Burdach l. c.

3) Cruikshank und Mascagni Geschichte und Beschreibung der einsaugenden Gefäſse.

parenchymatis aut superficiei vel externae vel internae inflammatio [1]).

Febris comitantis natura utique inflammationis quoque naturam praebet diversam, ut enumerare liceat metritidem cum statu synochali-erethico, typhoso et putrido.

Haec omnia discrimina et ortam inde diversam morbi conditionem haud parvi esse momenti facile elucebit, minoris vero momenti est divisio metritidis secundum sedem in inflammationem fundi aut portionis vaginalis superficiei anterioris aut posterioris et laterum, nam raro inflammatio tam stricte coërcita et limitata obveniet, ut pro diagnosi et cura realis semper proficiscatur usus.

---

1) Nonnulli inflammationem tunicae mucosae, quae internam uteri superficiem traducit et quam uteri catarrhum vocant, a metritide separatam volunt, uti et inflammationem peritonaei, quod in partem uterum externum circumdat.

Catarrhus uteri primum molesta siccitate, tum profluvio mucoso aucto insignis est.

I. DE METRITIDE IN FEMINIS NON GRAVIDIS.

In virginibus metritis raro occurrit, ita ut a nonnullis negata sit [1]) alii, cum quodque organon vasis nervisque instructum inflammari posse debeat, jure quidem concedunt, sed cum vehementia quadam hysteritidem in virgine nunquam se vidisse fatentur [2]). Alii negaverunt metritidem in puellis nondum menstruatis et sane in iis quam rarissime observatur [3]).

Recentiori contra tempore in ipsis parvulis infantibus non raro uterum post mortem inflammatum inventum esse nonnulli narraverunt, sed suspicio jure adest, cum omnia infantium organa laetiori gau-

---

1) S. G. Vogel, tom. IV. p. 313.

2) Carl Wenzel, über die Krankheiten des Uterus.

3) J. P. Franck, Epit. de curandis hom. morb. Lib. II. p. 217: hoc ipsum viscus in virginibus necdum menstruatis rarissime, neque conspecto unquam a nobis exemplo, inflammatur.

dere soleant rubore, talem colorem pro inflammatione habitum fuisse.

Mr. Dausse[1]) neglecta exploratione interna et quia metritidis cum aliarum inflammationum signis congrua sint, illam saepe non dignosci dicit.

Pradispositio singularis ad metritidem, nisi ex organi ipsius situ aut structura morbosa pendeat et si excipere vis periodos illas, quibus uterus secundum certum typum ad majorem actionem impellitur, statui non poterit, tamen talis, quae et aliis morbis ansam praebere valeat, et quidem praecipue: plethora tum universalis tum imprimis abdominalis, diaeta lauta, vita sessilis, spirituosorum, excitantium et pellentium usus, menses largi, aestuatio, tempestas frigida sicca, aetas juvenilis, coëundi libido, cui satisfieri non potest, aut si illa nimis saepe et rudi modo exercetur. Si verum est, lunae phases in menstruationem vim quandam exserere, morbus noster etiam ab iis, mediate saltem, tangi possit.

Causae occasionales. Laesionibus mechanicis et inflammatione vicinarum partium exceptis nulla alia res facilius uteri inflammationem, quam menses aut excretiones morbosae e longa temporis duratione necessariae factae, refrigerio, pedum im-

---

1) Dictionaire des sciences médicales: titre Métrite.

primis, suppressae, producere valet [1]): nam menstruatio vix, ut Freind in Emmenologia sua contendit, sola lege hydrodynamica et plethora nititur, sed excretioni similior est; semper sanguis menstrualis nullam aut parum fibrinae continet et ideo non coagulatur; interdum a reliquo valde differt: sic Christina Sueviae regina sanguinem atrum, tenacem, foetentem, corrodentem semper mensibus edidisse fertur. Leviores quoque post menstruationem sese sentiunt feminae et multae querelae, quae antea adfuerunt, disparent, ita ut vera purgatio dici possit menstruatio, uti et Hebraei multaeque aliae gentes peregrinae feminas menstruationis tempore immundas putent. Certo vero coitus quoque, tempore menstruationis intraturae aut modo invasae admissus, juvare saltem morbum potest, uti et animi motus vehementes, terror et ira.

Prodromi. Interdum sed raro hysteritis subito intrat cum frigore vehementi, quod calor continuus sequitur: multo frequentius haecce antecedunt symptomata: aegrotae male se habent, sentiunt frigus,

---

1) R. A. Vogel, praelectiones de cognos. et cur. prac. corporis cum. affect. incessum per aquas et pavimenta frigida pedibus nudis praecipuam suppressionis mensium causam refert.

quod circa regionem lumbalem et in abdomine fortissimum est, pulsus tangitur contractus, fere spasticus, appetitu deficiente saepe oritur nausea et vomitus, quo potus propter sitim majorem avide haustus rejici solet; delassatio artuum magna eas lectum petere cogit; extremitates et ipsa facies frigidae tanguntur, dum abdomen calescit, id aliquantulum intumescit et sub pressu dolor obtusus elicitur; occurrit saepe impetus ad mingendum, tamen sub doloribus parum lotii profundo rubri emittitur, impetui ad alvum excernendam sub tenesmo saepe satisfieri non potest, calor horripilationibus interdum interruptus crescit, pulsus aliquantulum plenior fit et variabilis. Saepe etiam aegrotae impletionis et pressus sensum in abdomine aut dolores colicis similes accusant; insignis vero semper est artuum dedolatio et minuta mobilitas. Secundum aegrae aetatem reliquasque conditiones hoc stadium per dies duos, tres ad sex durare solet.

Sub febre fortiori saepe cum rubore et calore universali magno, interdum vero facie et extremitatibus frigidis dolores in profundo abdomine vehementissimi urentes, terebrantes, qui plerumque in abdomen superius, quin pectus extendi solent, sentiuntur, dolores quoque lacerantes, pungentes e regione inguinali ad regionem sacralem et latera versus per crura ad genua usque expansi, motu quoque, respi-

ratione, tussi, sternutatione aucti aegrotam cruciant, raro nausea, vomituritiones et vomitus liquoris plerumque aeruginosi, acris deficiunt, cephalalgia contra aut deliria mitia, si adfuerunt etiam in prodromorum stadio, exculto magis morbo evanescunt, in aliis vero congestiones caput versus, cephalalgia, vertigo, oculi splendentes et deliria fortiora observantur; lingua est sicca, rubra, sitis magna, alvus semper retenta et urina flammea, sanguinea adeo sub doloribus parca in quantitate excernitur. Pulsus frequens, tamen quoad magnitudinem, plenitudinem et duritiem variabilis et oparvus ac ppressus saepius, quam magnus tangitur; occurri quoque in abdomine pulsationis sensus dicitur, quae externe ipsa pericipi possit.

Abdomen interdum valde tumet et ne levissimum quidem tactum fert; exploratione vero interna vagina sicca et calida, portio vaginalis, quae facilius ac in statu sano attingi potest, dura et valde dolorifica inveniuntur, excretiones aut anomalae jam ante morbum praesentes, aut menses suppressi sunt, raro sanguinis guttulae quaedam, interdum sub doloribus, iis ad partum similibus, exstillant. — Moestae sunt aegrotae et anxiae ac tum propter dolores tum propter rigiditatem quandam artuum difficulter modo mo-

ventur [1]). Semper fere inflammatio uteri e sympathia affectionem dolorificam, tensionem et turgescentiam mammarum, glandulae thyreoideae etc. profert et ad organa vicina, intestina, rectum praesertim, vesicam urinariam, peritonaeum ac genitalia externa extenditur.

Quemadmodum vero metritis partialis est aut sedem suam in hac alterave parte cepit, singula symptomata prae ceteris excellunt: ita si inflammatio sedet in anteriori superficie, dolor supra symphysin sentitur maximus, haec regio tensa est, sensibilis admodum et urinae excretio magnopere difficilis; superficie posteriori affecta dolor magis ad rectum et regionem lumbalem vergit, unde vasis haemorrhoidalibus tumentibus alvi obstipatio cum tenesmo; hoc illove latere inflammato dolor per crura ad pedes migrat et motus praecipue molectus fit, extremitates

---

1) In metritide vehementi e suppressa menstruatione, pedum refrigerio, quam Dr. Lehmann descripsit vid. Rust's Magazin B. 8. pag. 168. situs dorsualis continuus, cruribus expansis signum praestans erat. Dr. Lehmann characteristicum habet, cum, quae spasmis uteri et partium adjacentium laborent crura plerumque claudant et situm incurvatum ament prae erecto; sed inflammatio et spasmus morbi sibi oppositi non sunt et hoc symptoma neque a Morgagni neque a Foresto observatum est et nmea quoque defecit aegra.

hebetae intumescunt; portione vaginali laborante dolor in profunda pelve haerens exploratione interna maxime cietur et illa cum vagina admodum dolentes, durae, calidae, siccae, tument; portio vaginalis retracta et brevior facilius tamen digito attingitur, quia uterus aliquantulum descendit, labium superius non prominet prae iuferiori et rima transversa, ut in graviditate formam ostendit rotundam, crurum motus dolores excitat, quoniam partes hae teruntur, lotium, quod editur ardorem profert, quia urethrae orificium quoque inflammatum est et eadem e causa ardet clitoris, quapropter saepe ad metritidem lethalem salacitas furiosa accedit [1]).

Prognosis semper est dubia, cum metritis exitum in suppurationem [2]) gangraenam et desorganisationem amet. Periculosior plethoricis et irritabilitate praevalente insignibus morbus noster evadit [3]) et ubi totum organon morbi sedes est aut alia organa nobilia simul affecta sunt.

Raro hic morbus in stadio incrementi ultra dies

---

1) S. G. Vogel, l. c. sed facilius forsan, si ovaria inflammatione arripiuntur.

2) S. G. Vogel, l. c. aliique; contra Carus. (Gynaecologie Tom. I. pag. 235. et Carl. Wenzel l. c. suppurationem raro obvenire contendunt.

3) Siebold, Handb. zur Erkenntniss der Frauenzimmer-Krankheiten. B. I. p. 329.

quatuor manet, intrat tum aut crisis salutaris, quae sola fere [4]) per haemorrhagiam ex utero, naribus, ano etc., rarius per profluvium mucosum, puriforme aut sudores largos, lotium cum sedimento puriformi et milliaria efficitur — aut suppuratio: hic dolor vehemens sensim mitior fit et sensatio palpitationis et pulsationis oritur; horripilationibus intercedentibus febris, quae remiserat aliquantulum, augetur, pulsus regularior, minus durus, calor minus ardens observatur; abdomen detumescens tactum melius fert, excretiones facilius procedunt, vesperem versus siti aucta et pulsu frequentiori calor horripilatione praegressa crescit, cephalalgia magna adesse solet, nausea vero non; noctu sudores largi plerumque emergunt; per diem aegrotae leviores, tamen fessas se sentiunt. Plerumque non totum organon simul, sed loci singuli in suppurationem abeunt, in reliquis aut resolutio fit aut sensim quoque suppurationis participes fiunt.

Pus si formatur in cavo uteri aut in portione vaginali, per vaginam effluit, suppuratio peripherica vicinas partes quoque offendit et formantur fistulae aut pus in pelvem effusum sub tympanitide et convulsionibus exitum lethalem causat [2]).

---

1) Mende's Weiber-Krankheiten. Tom. II. p. 19.

2) In pelvis cavo corpora aliena praesertim exsudata difficilius ac alibi feruntur, nam uterus, et connexae cum

Pus, si excerni nequit aut suppuratio lente procedit, febris hectica in dies aucta colliquationibus et macie vitam tollit. — A nonnullis puris per pulmones et urethram, anum, vesicam urinariam etc. non laesam excretio observata est.[1]).

Malus sed frequens exitus metritidis est ille in gangraenam et hisce symptomatibus dignoscitur: in acmes stadio dolor subito evanescit, abdomen aut detumescit, aut si parum tumuerat magis tumet, color pallescit et facies valde mutata collabitur, extremitates frigore marmoreo affectae propter debilitatem et paralysin incipientem vix moveri possunt, sensuum functio interdum exaltata apparet, pulsus frequens ob parvitatem vix tangitur; excretiones saepe inscie eduntur foetentes, e vagina humor decolor, foetidus acris effluit; aegrotae interdum ob dolorum intermissionem hilares bonum eventum sperant, aliae conscientia perfecta praesente subito exstinguuntur, aliae vomitu, singultu, deliriis, sopore, meteorismo, sudoribus tenacibus, profusis, aliisque excretionibus praegressis sub convulsionibus et syncope obeunt [2]).

---

utero partes vehementis sunt sensus. Haller opp. m. clitoride confricta continuo femora contremiscunt.

1) Fr. Hoffmann, et de Haen in Eyerel's chron. med. Heft. 2.— Gerardi van Switen Comm. tom. IV.

2) Morgagni, de morbis ventris Epist. X. L. VIII Art. 28. Epist. XXI. Art. 24 et 29. Epist. X. L. VII. Art. 14.

Frequens exitus et morbus secundarius desorganisatio, qua re Mende l. c. singularem formam inflammationis, destruentis, statuit, reperitur et suspicari potest, si inflammationis quidem signa et febris evanescunt, pressionis tamen et plenitudinis sensatio motu et situ infausto aucta manet, relinquitur interdum dolor obtusus, qui non solum coërcetur in pelvi, sed quoque regionem inguinalem vesicalem etc. tenet. Si induratum est organon gravitate, ligamenta, quibus suspenditur, relaxantur et fiunt: descensus, prolapsus, retroversio, antroversio variaeque inde molestiae [1]). Cum tumore consistentia simul mutatur et durities nonnunquam lapidea tangitur; functiones organi his rebus utique magis minusve perturbari debent, saepe fit fluor albus et si aegra praedispositionem habet polypi, quoque hydrops [2]) et scirrhus.

Haud raro plures exitus morbi simul observantur:

---

1) Enormis interdum voluminis et ponderis incrementum notatur; sic Guil. Fabr. Hildan. observat. chir. cen. V. fol. 430. in vidua L. annorum uterum LXXXII. librorum ponderis inventum fuisse narrat et Mauriceau Traité des maladies des femmes uterum prolapsum ad genua usque prolongatum tradit.

2) Ingens aquae massa, quam nonnunquam uterus includit, magnam ejus ad expansionem pronitatem declarat vid. Vesalius de humani corporis fabrica Tom. l. Lib. V. pag. 438. ubi uterus C. libras aquae continuisse dicitur.

gangraena, suppuratio, exsudatio et concretio reperiebantur in casu, quem Dr. Lehmann descripsit.

Quoad curam, secundum aegrotae conditionem et morbi intensitatem haec minus magisve strenue antiphlogistica esse et debilitas solita, cum falsa sit nequaquam venaesectionem vetare debet; notatu dignum videtur e venaesectione, quamvis larga dolores locales non cito, ut in pleuritide etc., leniri, sed post horas demum, at si mitigati fuerint, non tam cito iterum crescere [1]).

Uterus, qui ad pubertatis usque tempus vitam minimam egit, sub totius corporis notabili mutatione et revolutione majorem dignitatem magnumque in universum organismum, animum adeo et mentem influxum adipiscitur et mirae typicae functioni, cui nulla alius organi in statu sano similis, sanguinis a reliquo differentis excretioni praeest. Raro vero et in bene formatis sanisque ceterum puellis menses sine ullis molestiis intrant, mala valetudo, delassatio, digestionis et animi turbationes, praesertim vero congestionis abdomen versus signa, dolores ibi et in regione sacrali, plenitudinis sensus, genitalium ardor et pruritus etc. plerumque antecedunt.

Ex hoc uterus ab omnibus fere feminarum mor-

---

1) Mende l. c.

bis quoque tactus in consensum trahitur ejusque functio laesa permultis morbis causa subest, unde medicis proverbium: ūterus sexcentarum in muliere aerumnarum auctor. — Mutatio formae et magnitudinis uteri, vasorum sanguiferorum explicatio sensibilitas universa, sed in hoc organo imprimis aucta, opportunitatem ad inflammationem demonstrant, tamen, quae exspectari posset intensa phlogosis raro occurrit et puto eas ob causas: ab omnibus menstruatio graviditatis functio similis loco ejus necessaria et vicaria fere habetur [1]), scimus vero experientia gravidi uteri functionem foetum alendi atque tuendi saepe ne gravioribus quidem matris morbis prohiberi et mulieres admodum debiles, emartiatas, cachecticas sanos et bene nutritos parere infantes, vim mechanicam vehementissimam interdum abortum non provocare [2]) facile inde cludi posset et menstruationem fluentem propter hanc virtutem non facile et statim supprimi et alias menstruationis suppressionem, quamvis frequens sit morbus, frequentius adhuc visum iri. Sanguinis jactura ipsa diathesi inflammatoriae contraria est, uti et organon munere suo periodico peracto difficilius

---

1) Russel in femina per XX. annos menstruationem singulo quoque nono mense solari tantum et in hoc temporis spatio graviditatis signa apparuisse narrat. Ceterum notum est partum plerumque non 280 dies post conceptionem sed, post ultimam menstruationem intrare.

2) Rust's Magazin B. 14. S. 372.

ad reactionem impellitur. Majoris vero momenti videtur magna uteri cum aliis organis sympathia, qua fit, ut incitamenta morbosa in uterum conversa functionemque ejus prohibentia facilius in aliis organis morbum provocent, ac in eo ipso et experientia quam frequentissime nobis ostendit mensibus suppressis pleuritidem, preumoniam, gastritidem, erysipelas faciei, oculorum, mammarum et aliarum partium inflammationes, colicam, cephalalgiam, cordialgiam, mammarum, glandulae thyreoideae, parotidis tumorem et dolorem, congestiones varias versus partes etc. provocari. Porro celerior sanguinis in femina circulus [1]) et vasorum virtus sanguinis impetui minus resistere haemorrhagias ex omnibus fere corporis partibus juvant: ita menses suppressi rhinorrhagiam, haemorrhoides, haemoptysin, haematemesin praecipue, tum haemorrhagias e gingivis et ulceribus ex auribus, mammis, umbilico et tota corporis superficie, lacrymas sanguinolentas ptyalismum et sudorem sanguinolentum protulerunt [2]).

Ex hac indole facile quoque elucet si incitamentum vehementius iuvaserit, quam ut reactio organi immediate et primario offensi deficere posset, eam

---

1) Rudolphi's Physiologie.

2) Sprengel's Pathologie Thl. 3. p. 107.
Reil Erkenntniss u. Kur der Fieber. B. 3. p. 139.

sympathiam, qua aliae quoque partes in consensum et morbum trahuntur, inflammationis in utero vim et intensitatem minuere debere per majorem extensitatem. In universum ex omnium consensu feminae majori sensibilitate et minori irritabilitate insignes sunt [1]), vegetatio verum non solum in toto corpore, sed in utero imprimis praevalet, quare irritatio ejus saepe massae et voluminis modo incrementum sine notabili inflammatione producit.

Accedit, quod robur et virtus generis humani in dies per culturam crescentem et res novas ad vitam necessarias debilitata, majorem sensibilitatem alant, quo fit, ut multo frequentius quidem apportunitas ad inflammationem et ea ipsa oriatur, minori verum vehementia et intensitate incedat, morbus diutius duret, per lysin potius, quam per crisin solvatur aut in chronicam inflammationem et degenerationem abeat.

Metritis itaque raro formam superius expositam ostendit, nisi faventibus certis conditionibus et in feminis plethora vera, fibra stricta, irritabilitate praevalente insignibus, ceterum sanis, laboriosis etc.

Saepius minor inflammationis gradus charactere

---

1) Conditiones, quae in feminis adipis generationem, in viris sanis statum jam inflammatorium excitare ait Mende l. c.

rethico excellit, prodromi sunt longiores, digestio laesa, nausea, vomitus, appetitus deficiens, dedolatio artuum, dolores in variis partibus, spasmi etc. antecedunt, febris non tam subito oritur, frigus non tam magnum praegreditur, pulsus frequens, major et minus durus esse solet, inflammatio saepe superficialem sedem aut in uteri cavo aut in externa superficie tenens latius expanditur. Morbus saepius complicatione gastrica, rheumatica, nervosa etc. gaudet, decursus diutius protenditur et quam maxime transitum in chronicam inflammationem et desorganisationem amat.

Prae reliquis organis uterus inflammatione chronica corripitur et praecipue in feminis, quibus menses cessant. Aegrotae interdum causae praegressae non memores dolorem in profunda pelve obtusum, ardentem, motu et situ infausto auctum, nunquam vero plane silentem [1]), qui aestuatione, coitu menstruationis tempore appropinquante et intercurrentibus noxiis crescit, accusant; menses plerumque difficulter fluunt, sanguis excretus partim saltem conglobatus et atri coloris apparet; fluor albus cer-

---

1) Interdum vero dolores systema uterinum relinquere, aliud organon aut systema afficere, sed ad illud redire dicuntur. Dict. des sciences med.

tum metritidis chronicae signum non est. Locus affectus, qui plerumque ambitum magnum non occupat, conceptionem non semper impedit, morbus vero graviditate augeri et abortum gignere solet. Valetudinem adversam, delassationem spasmi, abdominis praesertim, mala digestio, alvi excretio irregularis, mentis habitus morbosus comitantur; cuncta haecce symptomata sensim sensimque emergentia initio non magni habentur, donec febricula vespertina aucto dolore, ardore et sudoribus matutinis apparet; in universum vero magna symptomatum varietas et incertitudo, ut facile morbus non rite dignoscatur, exstat. Praedispositionem alunt: magna sensibilitas et sanguinis crasis morbosa, venositas, quam dicunt, aucta, partus, abortus et morbi frequenter praegressi aut praesentes, virium exhaustio, menstruatio parca, dolorifica cum fluore albo vices subiens, animi motus deprimentes praesertim, libidines, nutrimentorum et domicilii pravitas, corpora aliena, pessaria, ascarides genitalia ingressi atresiae genitalium, ubi sanguis accumulatur in utero, aut vagina detinetur [1]).

1) Hippocrates de natura foetus Cap. V. (quem quidem libr. K. Sprengel non ad genuina ejus scripta numerat) chronicam metritidem mihi spectare videtur, si dicit: catamenia ubi V—VI menses in utero commorantur sanguis putrescens in pus vertitur et per pudendum interdum profluit.

Saepe cachexia universali et complicationibus variis comitata est hysteritis chronica e. c. scrophulosi, scorbuto, syphilide, rheumatismo chronico et arthritide atonica, quae, cum semper digestionem et reproductionem laedant et atoniam secum ferant, chronicae modo hysteritidi favere possunt.

Huc plerumque inflammatio metastatica uteri ex exanthematibus et erysipelate retrogradis referenda erit.

Menstruationis fluxus si cum stadio gonorrhoeae inflammatorio convenit, inflammatio majoris gradus esse solebit, uti et inflammatio, quae non raro plethora vera praesente metrorrhagiam comitatur; sanguis hic aut guttatim exstillat aut magnum post nisum larga in quantitate effunditur doloribus inflammatoriis nunquam deficientibus.

Contra si in uteri hydrope ille magnam partis contractilis resistentiam possidet nisu aquae expellendae, inflammatio interdum provocata chronicae plerumque indolis erit, ita ut hydrometram acutam inflammatio symptomatica concomitans; forsan metralgia quoque, cujus Baldinger primo mentionem fecit, magis huc pertinet, quam ad neuroses, cum

---

C. E. Friese de nonnullis causis mechan. ad menstruat. retentam conferentibus, Diss. Berl. 1829.

J. Heurnius lib. de grav. morb. mulier. menstruationis retentionem nimia omenti pinguedine, qua collum uteri comprimebatur, refert.

semper fere structurae mutatione, emollitione praesertim juncta dicatur.

Majoris momenti res est, quam quae silentio omittam, inflammatio scirrhi in carcinoma transeuntis. Scirrhus praedispositioni peculiari, nequaquam notae et variis causis occasionalibus originem suam debet. Individua, quae eo afficiuntur, plerumque sunt debilia et prioribus morbis jam exhausta, colore terreo etc., initium semper fere tempore cessationis mensium et quoad sedem in portione vaginali capit; insignis est duritie sua lapidea et forma irregulari, nodosa, tuberosa, et quod minor plerumque est ac alii tumores a portione vaginali et in uteri cavum et in vaginam expanditur et majorem superficiem quam in aliis partibus tenere solet; fissurae demum formantur, quae excrescentias fungosas et humorem limpidum, seroso-sanguineum interdum sanguinem e vasis acrimonia dissolutis magna saepe in quantitate edunt.

Initio axiguae tantum molestiae scirrho proferuntur, quae pressioni maximam in partem originem debent, et menstruationem difficilem et dolorificam reddunt, cum tumor plerumque orificium uteri claudat; sanguis ideo quoque grummosus et conglobatus ut plurimum expellitur; fluor albus aut fit, aut si jam aderat valde augetur; excretiones et alvi et lotii sub doloribus exercentur, dolores sensim motu et partium

tactu obtusi emergunt, sed postea permanentes intercurrentibus acerbioribus, imum ventrem pervolantibus stipantur; ichor foetidissimus, acris partes adjacentes corrodit, haemorrhagia larga aut febris hectica finem vitae miserae imponit [1].

II. DE METRITIDE IN GRAVIDIS.

Conceptione uterus ad munus sibi proprium, impulsus hoc cum omnium virium intentione fungitur, materias adeo ad sui ipsius incrementum et foetus nutritionem aut retinens aut aliis partibus detractas arripiens, magnumque in nervos, processus organicos et morbos praesentes, qui, phthisis imprimis, per graviditatem silere aut mutari saltem solent, influxum obtinet.

Mirihi processus vitales conceptio et graviditas [2]) inflammationis fere, aut inflammationis exitus saltem exsudationis et tumoris cum vitae energia aucta, imaginem prae se ferunt et graviditatis initium sym-

---

1) Morgagni de caus. et sed. morb. Epist. XXIX. 12 et XXXVIII.

Bose uteri per morbum bifidi exemplum 1779.

Huebner Dissert. enorme uteri virginei carcinoma. Trajecti ad Viadr. 1777.

2) Paracelsus uterum ideo microcosmum microcosmi vocat.

ptomatibus, quae febri propria sunt plerumque comitatur; numerosa organi vasa amplificantur, nova formantur et nervorum functio crescit; quis igitur, has omnes conditiones dynamicas opportunitatem ad inflammationem proferre debere, negaret?[1]) huc accedunt aliae externae: uterus admodum tumens, integumentis abdominis incumbens causis mechanicis facilius exponitur[2]) abdominis convexitas vestimenta, quibus nostrae mulieres utuntur amovendo tempestatis influxui et refrigerio favet, unde morbus, quem dicunt, rheumatismus uteri[3]), qui insignis est dolorifica totius uteri affectione cum doloribus trahentibus, qui saepe contractionem organi provocant, ut orificium ejus aperiatur.

Promontorium pelvis interdum utero ascendenti obstaculum fit et si vinci nequit inflammationis causa, ita et hysterocele, ubi situ anormali per lineam

---

1) Testatur quoque haec indoles singulari spasmorum natura Eclampsiae nempe hypersthenicae. vid. J. W. Betschler Progr. über die Eclampsie der Gebärenden. Bresl. 1831 u.

A. Timpf Diss. de feminarum eclampsia. Bresl. 1832.

2) Quapropter et fundus in gravidis saepius inflammatur, cum et ejus massa et vasa primo amplificentur et increscant.

3) Wiegand. Von den Ursachen und der Behandl. der Nachgeburts-Zögerung. Hamb. 1803 u. A.

albam aut per annulum umbilicalem etc. organum incarceratur.

Inflammatio apud gravidas haud raro observatur, sed hic quoque sympathia uteri cum aliis organis, multo major adhuc ac menstruationis tempore intensitatem prohibet aut si incitamentum vehementissimum invaserit, uterus cunctis viribus collectis foetum expellit et sanguinis plerumque larga jactura phlogosin intensivam oppugnat.

Munus vero uteri tam violento modo sublatum sine noxa ferri non potest, quamvis autem humorum jactura copiosa cachexiae, blennorrhoeae, icterus, hydrops, sterilitas et pronitas ad iteratos abortus proferantur, interdum tamen status uteri subinflammatorius quoque oritur: sic mihi bis in Policlinico obstetr. quod Ill. Prof. Betschler tunc t. mira liberalitate magnam in partem sustentabat, ex abortu Leucophlegmasiam dolentem ortam vidisse contigit, quorum alter casus irritatione subinflammatoria uteri stipata erat et casum tertium, ubi ex abortu, quamvis metrorrhagia secuta sit, tamen affectio uteri inflammatoria fiebat, ut venaesectione, hirudinibus et remediis antiphlogisticis opus fuerit, dolores vero, quamquam uterus exploratione interna satis doleba in toto abdomine regione sacrali et praecique epigastrica acerbiores, pressum non ferentes, percipiebantur.

III. DE METRITIDE IN PARTURIENTIBUS.

Praedispositionem peculiarem hic pelvis informis, nimis angusta, aut infans nimis magnus constituunt; — causae occasionales sunt: refrigerium, incitantium abusus, inepta rheumatismi cura, partus per longum temporis spatium durans, paragomphosis capitis infantilis, nimius ad partum nisus, praesertim in periodo prima, exploratio nimis rudis et saepius iterata, conamina operativa non exacta, conamina dilatationis orificii uteri, infaustus infantis situs, qui in tempore non correctus est, aquarum profluvium ante justum tempus, nam ita membra et caput foetus vehementer uterum premunt, prolapsus, retroversio etc.

Sicuti in gravidis fundus uteri potius inflammari solet, ita in parturientibus portio vaginalis, quia contractionibus in fundo antagonisticis satis cito expandi debet — inter symptomata permagna interdum labii alterius, superioris imprimis intumescentia, ut ab imperito pro chorio haberi possit, excellit.

Levior morbi forma semper quidem, sed parum partum turbat et post illum facile solvitur; quaevis vero vehementior inflammatio per totum uterum expanditur et si exclusio infantis fieri nequit, sub acerbissimis doloribus cito gangraenam lethalem aut rupturam adeo organi causat.

IV. DE METRITIDE IN PUERPERIS.

Inflammationem uteri itaque interdum e priori tempore in puerperium protractum videmus; saepius autem sub partu causa morbi oritur, denudatio nempe corporis inferioris necessaria rheumatismum uteri proferre et contractiones ejus dolorificas admodum et irregulares reddere potest; tum retentio placentae et sanguinis in utero reactionem inflammatoriam, aut si decomponuntur, statum putridum efficere valent [1]). Levior genitalium, pressu infantis aut instrumentorum effecta offensio, si ceterum femina sanae constitutionis infaustis conditionibus non exponitur, facile vincitur; sic mihi pluries videre contigit gangraenam vaginae, ubi uterus vix integer manere potest, solutam esse, dum partes flocciformes sphacelo destructae abibant cum lochiis. Graviores vero laesiones aut processus, qui puerperium sanum reddere debent, impediti graviorem quoque morbum statuunt; metritis si fit haecce ut plurimum symptomata praebet. Sub febre ardor fixique dolores, initio ut dolores post partum remittentes semper aucti redeuntes et ad crura descendentes obveniunt; constantius ac in non gravidis abdomen quidem molle satis tumet et

1) Notatu dignum est sec. Boer aliosque etiam sine causa et signo praegresso uterum in putredintim vere posse, qui status paene aequatur gangraenae senili.

uterum non bene contractum tangere sinit; simul mammae aut lacte tument aut collabuntur; lochia plerumque disparent, pulsus initio frequens, magnus, fortis mox vero parvus, debilis, irregularis fieri solet; in omnibus fere aegrotis nausea, vomituritio, vomitus plerumque biliosus et ructus aëris depravati oriuntur, cephalalgia et sitis vehemens, lingua sicca, interdum nigricans, excretiones alvi lotiique difficiles, somnus impeditus esse solent; dolores quoque hypochondria, pectus, mammas, crura, manus etc. occupant; oculi saepe exaltata sensibilitate laborant, aegrota delirat et saepe suspirat; interdum locus ruber sub umbilico, tetanus, catalepsia, quin hydrophobia in conspectum veniunt; tandem singultus, subsultus tendinum, meteorismus sudores partiales etc. intrant; pulsus minimus, admodum frequens tandem intermittit, extremitates frigescunt, facies fit hippocratica, vagina materiem valde foetentem effundit, alvus et urina inscie eduntur et sub sopore et syncope mors intrat.

Decursus morbi per minus majusve temporis spatium durat, exitus vero plerumque lethalis; faustae crises per sudores universales, profluvia foetentia, puriformia, sanguinea, lotium turbidum puriforme, lochia redeuntia, diarrhoeam, metastases erysipelatosas et abscessus rarius animadvertuntur. In cadave-

ribus inflammatio, suppuratio, gangraena et humores lymphatici exsudati saepe una reperiuntur.

Cum exaltatione universali et omnium virium nisu uteri functio summa, cui per longum tempus magna cum energia praeerat, partu satis cito finitur et diu menstruatio ipsa interrupta esse solet; simul larga sanguinis copia, quae ad incrementum illius organi ad nova formanda organa et ad foetum nutriendum impendebatur, superflua fit. Sapienter igitur, ne omnes hae conditiones inflammationi tantopere faventes noxiae fiant, a natura periculo triplici via obviam itur; primum nempe sanguinis jactura, quae partum sequitur et lochia tum sanguinea tum serosa et alba, lactis secretio, largique sudores ac ipsa copiosior pulmonum gasiformis excretio opportunitatem ad phlogosin minuere debent; nihilominus tamen in puerperio frequentius ac alibi metrididem videmus, nam facile quoque hoc vel illud naturae beneficium aut omnia simul impediri possunt; tum irritatio partus difficilis aut instrumentorum applicatio rudis etc. tam magna fuisse potest, ut aut inflammatione illa naturae conamina impediantur aut ad exstinguendam inflammationem non sufficiant. Porro etiam secundinarum retentio aut violenta earum solutio, spasmi et dolores vehementes inflammationem provocare possunt. Contra vero liberior sanguinis, in organis abdominalibus praesertim, circulus et aliorum humo-

rum impetus peripheriam versus, qui cute turgescente sudante, alvi retentione et urinae parcitate, mammarum et glandulae thyreoideae interdum turgescentia satis testatur, tum praesertim uteri fortis contractio, qua vasa ejus deplentur et nervorum vis in alias partes declinata, quae saepe organorum sensuum aucta alacritate elucet [1]), — uterum ab inflammatione tueri valent; huc accedit, quod vires in universum labore partus magno exhaustae sunt. Cum igitur natura tam multas vias ad processus in puerperio salutares perficiendos sibi muniat, facile sine noxa hic vel ille minui aut impediri potest, cum negotium ejus ad reliquos transferatur; in debilibus adeo lactationis e. g. negotium vetari debet; omnium autem horum processuum et totalis et jam partialis suppressio altiorum systematum morbosam receptivitatem desiderat, et in morbis, qui sequuntur, gravibus videmus systema sanguiferum praesertim energica reactione carere, unde tam facile febris puerperalis et metritis characterem nervosum et gangraenosum induunt; exsudationes vero tam frequentes demonstrant, ma-

---

1) Et eo, quod adeo per lactationis tempus conceptio plerumque locum non habet, quod non solum ab humoribus declinatis pendere videtur, nam marsupialia jam concipiunt dum pullos adhuc immaturos in marsupio gerunt.

terias, quae excerni debebant, verosimile ob illam non sufficientem vasorum et nervorum energiam retentas, crisin, ut ita dicam, lethalem, fecisse, sicuti et gangraena cita facile victam altiorum systematum vim declarat.

Uterus praesertim, qui vasa sua deplere, sese contrahere et in statum fere inertem redire tendit, inflammationi adversus est; in puerperio itaque hysteritis aut immediatam structurae organi vehementem offensionem aut causas desiderat, quae illam supra nominatam organi rationem superare valent.

MORBI HISTORIA.

C. G. a. XXII. n. femina satis robusta et plethorica prius nunquam morbo gravioris momenti affecta a. aetatis XVI. primum et rite et largiter semper menstruata et epistaxide interdum correpta fuit.

Die Sabathi IV. Februarii MDCCCXXXI. menses intrare ceperunt, sed die altero refrigerio magno, cum leviter vestita intemperie et luto ambularet, suppressi sunt. Exiguae inde primum factae sunt molestiae, dolores torminum similes cum artuum gravitate et appetitu deficiente; femina sibi non pepercit et ad mitigandos dolores, cum sensim augerentur, spiritum vini cum baccis juniperi digestum hausit; sed semper creverunt in profundo abdomine dolores, ita ut nono die Februarii plerumque lectum servare deberet et delirare incepisse dicatur, tamen eodem die quoque foras exiit, sequenti adeo surrexit et frustra laborare conata est; post frigus febris magna invasit.

Hoc ipso dei, morbi sexto sub vesperem primo vidi aegrotam valde inquietam vehementer delirantem, saepius „uror, uror, abite maligni!" conclamantem et aquam poscentem. Oculi splendebant, genae rubebant, lingua pura et sicca erat: cute sicca ubique calida abdomen admodum sensibile praesertim in inferiori parte parum tumebat; simul tussis modica aderat.

Exploratio interna praebuit: vaginam siccam et dolentem, portionem vaginalem paululum breviorem, contractam, tumentem, cum orificio rotundo, valde dolentem, uterum ipsum paulisper descensum. Alvus per quinque dies clausa dicebatur. Pulsus frequentes, duri, fere parvi tangebantur; totum abdomen quidem dolebat, tamen digitorum pressus levis ferebatur, regio vero ad symphysin ossium pubis persensibilis erat.

Venaesectio in brachio et in pede, clysma, Calomelas cum Kali sulphurico et emulsio cum Nitro et Aq. amygdal. amar. in usum vocabantur. Altero die delirium vehemens, febris, calor cutis et dolores durabant, ita ut status omnino non mutatus appareret. Venaesectio igitur larga in pede iterum instituta est, hirudines Nr. XV. ad crurum interna latera etc., cataplasmata ex Hb. Conii, et cum alvus non sufficienter soluta sit, clysma adhibebantur; horis pomeridianis deliria et febris minuebantur, sed sub vesperem denuo increverunt; aegra per noctem non dormivit.

D. XII. Febr. iterum venaesectio instituta est e
hirudines Nr. XV. cataplasmata et balneum ordina
bantur; horis pomeridianis symptomata aucta pos
vomitum biliosum admodum mitigata sunt et hodie
primum sponte alvum copiosam dejecit.

D. XIII. Febr, per noctem dormivit, et febris et dolores admodum mitigati sunt; pulsus quidem frequentes sed minus duri; cephalalgia et vertigo accusantur; pediluvia acria et sinapismi ordinabantur.

D. XIV. Febr. deliria fere disparuerunt, sed admodum garrula, loquax et hilaris aegrota facta est; abdomen parum dolet; plures horas per noctem dormivit et jusculum cum appetitu sumsit; praeter caput collum dolet et velum palatinum aliquantulum rubet. Vocis sonus multo alius ac in statu sano esse dicitur, Hirudines Nr. XII. ad tempora et collum positae sunt. Ita in dies symptomata et febris minuebantur, diu vero garrulitas insolita et hilaritas remanserunt, tamen et hae evanuerunt, excepta voce mutata et aegrota plane sana die XXI. Febr. dimissa est.

Sed mox post dimissionem male se habuit; jam in nosocomio cephalalgiam et vertiginem et lassitudinem artuum permagnam, dimissionis cupiditate dissimulaverat; accederunt sapor amarus, anorexia, lingua muco albo obtecta; noctem inquiete peregit et sudavit, tum quoque dolor quidam in pectore praesertim in regione scrobiculi cordis sub pressu et re-

spiratione auctus apparuit, qui trahens potius quam pungens fuit. Ubi ad nosocomium reportata est praebuit haecce et praeterea: cephalalgiam, vertiginem, pulsus valde frequentes, duros, magnos, calorem ingentem, dolores quoque nunc iu abdomine praesertim superiori aderant trahentes et per insultum intrantes, sub digitorum tactu aucti, tamen supra symphisi ossium pubis ne rudiori quidem ciebantur; venaesectione instituta aegrota Kali nitr. etc. utebatur; sub vesperem dolores ut colici erant, et aegrota dorsum incurvabat sub insultu.

Omnes, qui eam noverunt, mirati sunt de vocis sono valde mutato.

D. XXIII. Febr. febris mitigata est, sed propter auctos dolores iterum Colomelana, hirudines Nr. XII. ad abdomen et cataplasmata narcotica accepit; intraverunt blanda deliria, sudavit interdum paulisper, interdum etiam frigus quoddam in toto corpore persensit; noctem satis quiete transegit et dormivit, interrupte de dolorum insultu querens; ad matutinum tempus vero dolores aucti sunt, et aegrota sensum habuit quasi coqueretur aqua in collo et id adstringens ascenderet simul aphonia aegrotam corripuit et spuma ante os stetit.

D. XXIV. Febr. hora decima matutina in soporoso fere statu jacuit et blande deliravit, pulsus parum frequentes, parvi, non duri tangebantur. Signa

ptyalismi intrantis apparuerunt (post CXXII. grana Hydrarg. muriat. mitis consumpta). Pomeridie aphónia ceteraque symptomata evanuerunt; caput tantum dolet et obnebulatum est.

D. XXV. Febr. crampum accusat; frigus modicum noctu et dein calor eam vexavit; dolores mites sunt pressu tantum, in pectoris sinistro latere tussi et sternutatione cientur; caput obnebulatum et vertigo manent; jusculum hodie nauseam provocavit.

D. XXVII. Febr. dolores et febris mites sunt, surditas pedum, ita ut eorum sensus sublatus sit, accusatur; in medio pectòre dolor quidam urens adest; ptyalismi intraturi signa disparuerunt.

D. XXIX. Febr. largiter sudavit; cephalalgiae loco aurium dolores apparuerunt; lingua pura fit et appetentia ciborum redit.

D. IV. Martii iterum cephalalgia et obnebulatio capitis et scotomata ante oculos apparuerunt; aegrota per noctem deliravit, tristis est, saepe lacrimat; febris exigua, dolores nulli adsunt.

D. VI. Martii bene valet et praeter levem cephalalgiam nihil accusat.

D. VII. Martii ex hesterno quinque parvae pustulae iu brachio effloruerunt, una in furunculam formatur, reliquae exsiccantur.

In dies melius valet, ita ut XV. dimitti posset.

Domi saepe cephalalgia et vomitu praesertim ex infuso Caffeae arab. et Theae chin. corripiebatur. Abdomen, quod semper ante menstruationem tumere aliquantulum solet, nunc quoque tumet, uti et glandula thyreoidea, dolet quoque sub pressu regio iliaca sinistra. Menstruatio vero, quae exspectabatur, multo serius post menses demum [1]) rediit et aegrota perfectam sanitatem recuperavit.

1) Dict. des sciences med. Il n'est pas rare, qu' après cette maladie les regles ne reparaissent qu'à la seconde ou troisième époque.

VITA.

Equidem Ewaldus, Rudolphus, Guilelmus Engelking, fidei evangelicae addictus, natus sum MDCCCIX die mensis Septemb. V., Liegnitii, Silesiae oppido, patre optimo, Ernesto Engelking, aerarii urbani praefecto, matreque carissima Ludowica e gente Heymann.

Primis pueritiae annis domi institutus, puer X. scholam privatam Cl. M. Koehler, qui optime de me meritus est, frequentavi et annis tribus praeterlapsis Gymnasium Liegnicense, quod Rectore Ill. Prof. Werdermann t. t. florebat, petii.

Anno MDCCCXXVIII maturitatis testimonio instructus Vratislaviam me contuli, et d. Oct. XXVII. a Rectore t. t. Magnifico Ill. Gravenhorst numero civium academicorum Universitatis litt. Viadrinae legitime adscriptus, Ill. Benedict t. t. Decano apud facultatem medicam nomen dedi.

Hisce lectionibus interfui: Cll. Braniss, de Logice; Cll. Barkow, de Osteologia et Syndesmologia; Ill. Steffens, de Physices elementis et Mineralogia; Ill. Otto, de Anatome corporis humani

universa cum theoretica tum practica, de Anat. hominis et brutorum pathologica, de historia Foetus, de sectionibus forensibus rite instituendis et de Zoologia disserentem audivisse glorior. Ill. Purkinge, Physiologiam hominis universam, physiol. experimentalem et gravissimas Physiologiae theses explicantem audivi. Ill. Treviranum, in Botanices elementis, in physiologia plantarum, in demonstrationibus et excursionibus botanicis ducem habui. Ill. Fischer, Chemiam theoreticam, practicam et reagentia. Ill. Klose, Pathologiam universalem, Therapiam specialem morborum acutorum et medicinam forensem. Ill. Rochowsky, Psychologiam. Exp. Seidel, Materiam medicam et Pharmacologiam me docuerunt. Ill. Benedict, Ophthalmiatricen, doctrinam de fasciis, et instrumentis, doctrinam de operationibus instituendis, experimentis in cadaveribus illustratam mihi exposuit, sicuti et examinatoria et Clinicum ejus frequentavi. Ill. Wendt, Therapiam specialem, morbos syphiliticos, illos e laesa nutritione et infantium. Ill. Remer, Therapiam et universalem et specialem me docuisse, et per annum et dimidium Clinicum ejus medicum frequentavisse laetor. Ill. Betschler, artem obstetriciam mihi tradidit, et in Clinico et Policlinico obstetricio benignissimus rector mihi evasit.

Anno MDCCCXXXII mensis Aprilis d. XXIV. Universitatis litt. Friedericae Guilelmae civium numero a Rectore t. t. Magnifico Ill. Marheinecke

legitime adscriptus apud facultatem medicam beat[o]
Rudolphi t. t. Decano nomen professus sum.

Hisce lectionibus interfuisse glorior: Ill. Rust de Chirurgia clinica. Ill. Wolff, de Medicina practica. Ill. Juengken, de oculorum morbis. Ill. Barez, de infantium morbis.

Hoc ipso semestri scholas clinicas Nobil. de Graefe et Ill. Hufeland, Ill. Osann et Busse frequentare contingit.

Quibus omnibus viris Illustrissimis et optime de me meritis gratias maximas in sempiternum debeo et habebo.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Sola vulneris curatione locali hydrophobiam esse avertendam.

II.

Causam stimuli ad partum et in utero et in foetu quaerendam.

III.

Inflammationi in febre vere putrida locum nullum esse, opinor.

IV.

Sanguis in variis corporis organis varia pollet virtute.
